



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 308. Quidam autem dubitauerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

§. 308. *Quidam autem dubitauerunt.*

Mira res, videre Dominum resurrexisse ex mortuis & tamen dubitare. Quid est hoc Domine? quantum capio & sapio. collectio illa fratrum in monte Ecclesia est Christi, in hac quid futurum sit, & contingat hic describitur. Boni sunt in hac & mali; prudentes virgines & fatuæ &c. Itaque quanquam omnes exterius Christum adorant in monte tam viri quam mulieres ob euidentem eius splendorem & maiestatem admirabilem, attamen interius non omnes æqualiter erant dispositi & corde inhærentes Domino, sed iudicijs an idem Christus, qui passus fuisset ante triduum & mortuus, an fors phantasma vel illusio vel Angelus quidam de cælo apprensus eis illuminatus esset, differebant. Item affectibus amoris, fiducia, resignationis & permissionis sui in manu Domini, uti etiamnum in Ecclesia videmus indies accidere. ideo etiam pius Saluator, qui non vult sine nobis saluare nos, uti modo ita etiam tunc ulterius eos confirmavit in fide, per loquelam scilicet, ut inde eum magis magisque agnoscentes crederent firmiter.

**D**omine, hodieque dubij multi inueniuntur in fide, de tua præsentia substantia, existentia, mysterijsque tuis & doctrina tum extra Ecclesiam ut Iudæi, Græci, Schismatici, Turcæ, Hæretici; tum intra Ecclesiam charitatis spiritum & obedientiam non observantes. eo quod Christi dictis affectu pleno non adhæreant. & practice credant: quid hic facto opus est? Exurge Domine & veni, succurre eis & doce per viua argumenta ut credentes salui fiant, sicut fecisti hic cum dubitantibus.

§. 309. *Et accedens Iesus locutus est eis.*

Ut confirmaret dubitantes in veritate fidei accessit eos, ut eum & corpus eius propius videre queant, & agnoscere stigmata, & eius lineamenta, clarius, locutusque est eis, ut cognita eius loquela manifestaret se; omnem scrupulum & dubitationem ab eis sic auertendo. Tantus amor salutis nostræ in te est mi Iesu.

**A**ccede ergo obsecro ad me cum erro; loquere mihi ad cor cum tibi non appropinquo charitate. Ecce audit seruus tuus patet tibi cor meum cui vni illud consecrati semel, & in dies debeo consecrare irreuocabiliter.

§. 310. *Dicens: data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.*

Argumentum haud dubiè hic expectat, qui ista legit vel audit, quo sibi deuinciat Christus dubitantes suos, & ecce ait: Data est mihi potestas &c. an verò hoc argumentum est dubitantes in fide confirmandi, erigendi &c. æque dubium dixerit hoc facile omnis in fide dubitans. quid ergo facit, sapientissimus Magister? Nihil? Absit hoc à Dei sapientia: quid igitur? Non habet Ecclesia Christi, & mons ille in vertice monitum dubitantes, in fide, id est.